

**www.e-rara.ch**

**CONFESSIO FIDEI vulgo AUGUSTANA CONFESSIO Exhibita Invictissimo Imperatori CAROLO V. CAESARI AUGUSTO Ab Electoribus, Principibus & Statibus Imperii Germanici. IN COMITIIS AUGUSTAE ANNO M.D.XXX**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, M.D.C.C.V**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rp 476

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-45044>

De numero et usu sacramentorum.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

*servatio pœne Canonica, non est reservatio culpe coram Deo in his, qui vere convertuntur. Proinde rectè judicant adversarij cum fatentur, quòd in Articulo mortis illa reservatio casuum non debeat impedire Absolutisnem.*

Exposuimus summam nostræ doctrinæ de pœnitentia, quam certò scimus piam, & salubrem bonis mentibus esse. Et boni viri, si contulerint nostram doctrinam, cum confusissimis disputationibus adversariorum, perspicient adversarios omisisse doctrinam de Fide justificante & consolante pia corda, Videbunt etiam multa fingere adversarios, de merito attritionis, de illa infinita enumeratione delictorum, de satisfactionibus, ἄτε γῆς Πασίῃ ἄτε ἕκαστῆ ἀποπένα, quæ ne ipsi quidem adversarij satis explicare possunt.

## DE NUMERO ET USU SACRAMENTORUM.

**I**N XIII. Articulo probant adversarij, quod dicimus, Sacramenta non esse tantùm notas professionis inter homines, ut quidam fingunt, sed magis esse signa & testimonia voluntatis DEI erga nos, per quæ movet Deus corda ad credendum. Sed hîc jubent nos etiam septem Sacramenta numerare, Nos sentimus præstandum

dum esse, ne negligentur res & ceremoniæ in Scripturis institutæ, quotcunq; sunt. Nec multum referre putamus, etiam si docendi causi alij numerant aliter, si tamen rectè conseruent res in Scriptura traditas. Nec veteres eodem modo numeraverunt.

Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum DEI, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est iudicare, quæ sint propriè Sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti non erunt hoc modo propriè dicta Sacramenta. Non est enim autoritatis humana promittere gratiam. Quare signa sine mandato DEI instituta, non sunt certa si, na gratia, etiam si fort assrudes docent, aut admonent aliquid. Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cena Domini, absolutio, que est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti. Certo enim debent statuere corda, cum baptizamus cum vestimur corpore Domini, cum absolvimur, quod vere ignoscit nobis Deus propter Christum, Et corda simul per verbum & ritum movet Deus, ut credant & concipiant Fidem, sicut ait Paulus, Fides ex auditu est. Sicut autem verbum incurrit in aures, ut feriatur corda: Ita ritus ipse incurrit in oculos, ut moveat corda. Item effectus est verbi & ritus sicut præclare dictum est ab Augustino Sacramentum esse verbum visibile, Quia ritus oculis accipitur, & est quasi pictura verbi, idem significans quod verbum, Quare idem est utriusq; effectus.

Confir-

Confirmatio & extrema unctio sunt ritus accepti à Patribus, quos ne Ecclesia quidem tanquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum Dei.

*Propterea non est inutile, hos ritus discernere à superioribus, qui habent expressum mandatum Dei, & claram promissionem gratia.*

Sacerdotium intelligunt adversarij, non de ministerio Verbi & Sacramentorum aliis porrigendorum, sed intelligunt de sacrificio, quasi oporteat esse in novo Testamento, Sacerdotium simile Levitico, quod pro populo sacrificet, & mereatur aliis remissionem peccatorum. Nos docemus, sacrificium Christi morientis in Cruce satis fuisse pro peccatis totius mundi, nec indigere pateret aliis sacrificiis, quasi illud non satisfuerit pro peccatis nostris. Ideo justificantur homines, non propter ulla reliqua sacrificia, sed propter illud unum Christi sacrificium, si credant illo sacrificio se redemptos esse. Ideo Sacerdotes vocantur, non ad illa sacrificia velut in lege pro populo facienda, ut per ea mereantur populo remissionem peccatorum, sed vocantur ad docendum Evangelium, & Sacramenta porrigenda populo. Nec habemus nos aliud Sacerdotium, simile Levitico, sicut satis docet Epistola ad Ebræos. Si autem Ordo de ministerio Verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus ordinem Sacramentum. Nam ministerium verbi habet mandatum Dei, Et habet magnificas promissiones, Rom: 1. Evange-

lium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item, Ef. i. 55. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumq; volui &c. Si Ordo hoc modo intelligatur, neq; impositio, nem manuū vocare Sacramentum gravemur. Habet enim Ecclesia mandatum de constituendis ministris, quod gratissimum esse nobis debet, quod scimus Deum approbare ministerium illud & adesse in ministerio. Ac prodest, quantum fieri potest, ornare ministerium Verbi omni genere laudis, adversus fanaticos homines, qui somniant Spiritum sanctum dari, non per verbum, sed propter suas quasdam preparationes, si sedeant ociosi, taciti in locis obscuris, expectantes illuminationem, quemadmodum olim ἐν δόξῃ καὶ δόξῃ docebant, & nunc docent Anabaptistæ.

Matrimonium non est primum institutum in novo Testamento, sed statim initio creato genere humano. Habet autem mandatum DEI, habet & promissiones, non quidem propriè ad novum Testamentum pertinentes, sed magis pertinentes ad vitam corporalem. Quare si quis volet Sacramentum vocare, discernere tamen à prioribus illis debet, quæ propriè sunt signa novi Testamenti, & sunt testimonia gratiæ & remissionis peccatorum. Quòd si Matrimonium propterea habebit appellationem Sacramenti, quia habet mandatum DEI: etiam alij status seu officia, quæ habent mandatum Dei, poterunt vocari Sacramenta, sicut Magistratus.

Postremò, si omnes res annumerari  
Sacra-

Sacramentis debent, quæ habent mandatum DEI, & quibus sunt additæ promissiones, cur non addimus Orationem, quæ verissime potest dici Sacramentum? Habet enim & mandatum Dei, & promissiones plurimas, Et collocata inter Sacramenta, quasi in illustriore loco, invitatur homines ad orandum. *Possent hęc numerari etiam Eleemosyna. Item afflictiones, quæ & ipse sunt signa, quibus addidit Deus promissiones. Sed omitteamus ista. Nemo enim vir prudens de numero aut vocabulo magnopere rixabitur. si tamen ille res retineantur, quæ habent mandatum DEI, & promissiones.*

Illud magis est necessarium, intelligere quomodo sit utendum Sacramentis. Hęc damnamus totum populum Scholasticorum doctorum, qui docent, quod Sacramenta non ponenti obicem, conferant gratiam ex opere operato, sine bono motu utentis. Hęc simpliciter Judaica opinio est, sentire, quod per cæremoniam justificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine Fide. Et tamen hæc impia & perniciofa opinio magna autoritate docetur, in toto regno Pontificio. Paulus reclamatur, & negat Abraham justificatum esse circumcisione, sed circumcisionem esse signum propositum ad exercendam Fidem. *Ita nos docemus, quod in usu Sacramentorum Fides debeat*

accedere, quæ credat illis promissionibus, & accipiat res promissas, quæ ibi in Sacramento offeruntur. Et est ratio plâna & firmissima, Promissio est inutilis, nisi Fide accipiat. At Sacramenta sunt signa promissionum. Igitur in usu debet accedere Fides. Ut si quis utatur Cœna Domini sic utatur, Quia id est Sacramentum novi Testamenti, ut Christus clarè dicit, Ideo statuat sibi offerri res promissas in novo Testamento, scilicet gratuitam remissionem peccatorum, Et hanc rem Fide accipiat, erigat pavidam conscientiam, & sentiat, hæc testimonia non esse fallacia, sed tam certa, quàm si Deus novo miraculo de cœlo promitteret, se velle ignoscere. Quid autem prodesse illa miracula & promissiones, non credenti? Et loquimur hîc de Fide speciali, quæ presenti promissioni credit, non tantùm quæ in genere credit Deum esse, sed quæ credit offerri remissionem peccatorum. Hic usus Sacramenti consolatur piæ & pavidas mentes. Quantum autem in Ecclesia abusum pepererit illa fanatica opinio, de opere operato sine bono motu utentis, nemo verbis consequi potest. Hinc est illa infinita prophanatio Missarum, Sed de hac infra dicemus. Neq; ulla litera ex veteribus Scriptoribus proferri potest, quæ patrocinetur hac in re Scholasticis, Imò contrarium ait Augustinus, quod Fides Sacramenti, non Sacramentum justificet. Et est nota Pauli sententia, Corde creditur ad justiciam.

**A**rticulum XIV. in quo dicimus, nemini nisi ritè vocato concedendam esse administrationem Sacramentorum & Verbi in Ecclesia, ita recipiunt, si tamen

uta-

utamur ordinatione Canonica. Hac de re in hoc conventu sæpe testati sumus, nos summa voluntate cupere conservare Politiam Ecclesiasticam, & gradus in Ecclesia factos etiam humana autoritate. Scimus enim, bono & utili consilio à Patribus Ecclesiasticam disciplinam hoc modo, ut veteres Canones describunt, constitutam esse. *Sed Episcopi Sacerdotes nostros aut cogunt hoc doctrina genus, quod confessi sumus abjicere ac damnare, aut nova & inaudita crudelitate miseris & innocentes occidunt. Hæ causæ impediunt, quo minus agnoscant hos Episcopos nostri Sacerdotes. Illa sævitia Episcoporum in causa est, quare alicubi dissolvitur illa Canonica Politia, quam nos magnopere cupiebamus conservare.*

Ipsi viderint, quomodo rationem Deo reddituri sint, quod dissipant Ecclesiam. Nostræ conscientiaë hac in re nihil habent periculi, quia cum sciamus confessionem nostram veram, piam, & Catholicam esse, non debemus approbare sævitiam istorum, qui hanc doctrinam persequuntur. Et Ecclesiam esse scimus apud hos, qui verbum Dei rectè docent & rectè administrant Sacramenta, non apud illos, qui verbum DEI non solum edictis delere conantur, sed etiam recta & vera docentes trucidant, erga quos, etiam si quid contra Ca-

nones faciunt, tamen ipsi Canones finitio-  
res sunt. Porro hic iserum volumus testatum, nos li-  
benter conservaturos esse Ecclesiasticam & Canonicam  
Politiam, si modo Episcopi desinant in nostras Ecclesias  
sevire. Hac nostra voluntas & coram Deo, & apud o-  
mnes gentes ad omnem posteritatem excusabit nos, ne  
nobis imputari possit, quod Episcoporum autoritas labe-  
factatur, ubi legerint, atq; audierint homines, nos inju-  
stam severitatem Episcoporum deprecantes, nihil equi im-  
petrare potuisse.

## DE TRADITIONIBUS HUMANA- NIS IN ECCLESIA.

**I**N Articulo XV. recipiunt primam par-  
tem, in qua dicimus, observandos esse  
ritus Ecclesiasticos, qui sine peccato obser-  
vari possunt, & ad tranquillitatem & bo-  
num ordinem in Ecclesia profunt. Alte-  
ram partem omnino damnant, in qua di-  
cimus, traditiones humanas institutas ad  
placandum Deum, ad promerendam gra-  
tiam, & satisfaciendum pro peccatis, ad-  
versari Evangelio. Quanquam in ipsa Con-  
fessione de discrimine ciborum, satis mul-  
ta diximus de traditionibus: tamen hinc  
quædam breviter repetenda sunt. Etiam-  
si arbitrabamur adversarios, ex aliis causis  
defensuros esse traditiones humanas: ta-

men